

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Avctoriate Et Svb Avspiciis ... Domini Gvilielmi IX.
Academiae Rectoris ... Ad Novi Magistratvs Academici
Inavgrvationem Ipsiſ Calendis Ianvarii A. MDCCLXXXVIII
Celebrandam ... Invitat ...**

Münscher, Wilhelm

Marbvgi, [1799?]

VD18 1332246X

§. XV.

urn:nbn:de:gbv:45:1-7906

Supersunt denique et aliae quaedam rationes, quae faciant, ut, suppositum esse Iustino Dialogum cum Tryphone, persuaderi mihi aegre patiar. Si enim non vere scripsit hunc libellum Iustinus, vel ex errore ipfi attributus, vel ex fraude ipfi affictus fit necesse est. Ad errorem rem referri non posse docet ipse liber, in quo auctor se Iustum esse haud obscure prodit. Nam non Samaritanum solum se appellat, sed ad Apologiam etiam Imperatori exhibitam ita provocat, ut Iustini Apologiam intelligendam esse appareat c). Superest igitur solummodo, ut sumamus, hominem nobis ignotum simulato Iustini nomine librum composuisse. Verum et tunc difficultates haud removentur. Certe istum hominem eodem quo Iustum tempore vixisse oportet, nam istius aetatis, non vero recentioris esse Dialogum indicis sat multis constat. At coaevum scriptorem alias viri nomen operi suo imposuisse vix veri est simile. Libri recentiore tempore confecti eum in finem antiquis doctoribus adscribi solebant, ut opiniones in eis prolatae veterastatis auctoritate commendarentur, quod consilium in librum ipsa Justini aetate confectum non cadit. Attulit quidem ven. Langius quasdam rationes, quare Dialogi scriptor Justini nomen sibi vendicaverit. Statuit enim, Justinum cum Tryphone docto Judaeo collo-

c) Οὐδὲ γαρ ἀπὸ τοῦ γένους τοῦ ἴησου, λεγό δι των Σαμαριῶν, τινες φροντίδα πεισουμένοις, εγγραφοῖς Καισαρὶ προσομιλούσιοι πλαναῖδαι ἄντροι πειθούσοις τῷ εἰ τῷ γένει αὐτῶν μαγοῦ Σιμώνι etc. pag. 349. Dubium est, utrum ad priorem, an ad posteriorem Apologam respicatur. In utreque enim Simonis magi mentio occurrit. Apol. mag. p. 69. 91. min. p. 52.



colloquium habuisse, cuius eventus cum non in honorem Justiniani cessisset, hunc, ut rei Christianae consuleret, ab amico Judaicae Theologiae perito, Dialogum suo nomine conscribendum curasse, vel etiam, cum rumor vagaretur, Justinum cum Tryphone disputasse, aliquem Christianum sub nomine Justini iam mortui Dialogum composuisse. Utique explicationi sive conjecturae haud pauca sunt, quae obstent. Prior, quam V. Langius praeferendam esse iudicat, non ex antiquitatis moribus, sed recentioris temporis ratione repetita videtur. Quemdam ab alio disputationem conscribendam curasse, et suo tamen nomine edidisse, nostra aetate interdum accidisse fertur, at ex antiquiori tempore nullum eius rei exemplum memini. Deinde si amicus Justini Judaeos quos aggrediebatur, fortius Justinino impugnare poterat, quare nomen suum celaret aliamque personam prae se ferret? Si Justinus, uti coniicitur, in disputatione cum Judaeo superatus erat, noune longe convenientius Christianus alias nondum devictus suo nomine defendenda rei Christianae partes suscepisset, terribilior Judaeis futurus adversariis, quam is, cuius nomen victoriae iam reportatae memoriam Judaeis revocaret, novaeque reportandae victoriae spem faceret? Quare denique vir ingenio et doctrina praeditus hominis indocti et mediocris ingenii — quales nempe V. Langius auctorem Dialogi et Justinum depingit — nomen in se translatisset, et pro eo haberri voluisse? Nec veri similius est, alium post mortem Justini, rumore colloquii cum Judaeo olim habitum, Dialogum composuisse? Qui enim factum sit, ut quis solo tali rumore ad fuscipendum eiusmodi opus impelleretur, ego non facile comprehendo. Constat porro, in ecclesia catholica statim post Justini tempora auctoritatem nostrorum Evans, geliorum agnitam fuisse. Auctor igitur Dialogi, qui Judaeo-christianorum et Gnosticorum dogmata reiiciendo ad catholicam Ecclesiam se pertinere monstrat, si post Justini aetatem vixisset, non ad Λπομημονευματα Αποσολων sed ad nostra Evangelia provocasset. Indicia denique illa, quibus Dialogi auctor esse Justinum designat, non ita quidem sunt tecta atque obscura



seura, ut attentum lectorem effugiant, nec tamen ita aperta, ut ab impostore, qui Justinus haberi velit, apertiora non expectes. Talis enim homo, quo magis perlonam suscepitam simulareret, absque dubio et Justini nomen expressis verbis professus esset.

Verum opus non est, meras coniecturas diutius examinare iisque alias coniecturas opponere. Cum enim illae hoc solo tantur fundamento, Dialogum non posse a Justino conscriptum esse, statim evanescunt, simulac hanc rem aliter se habere fuerit olensum, quod a nobis factum esse speramus.

Redeundum est ad id, quod universae huic scriptio occationem dedit. Praeterit annus, quo rerum academicarum moderandarum cura mihi erat demandata. Non irrita fuisse vota, quae magistratum iniens pro Academiae salute et incolmitate suscepit, ex intimo animi affectu laetor. Florentem et vigentem enim video Academiam. Perrexit Serenissimus Princeps, quem Deus quam diutissime conservet, eam gratia sua amplecti, favere et tueri. Professorum et civium nullum mores eripuit. Valedixit quidem Academiae vir illustris Reinhardus Hille Jurisscientiae Doctor et Professor ordinarius impretrata a Principe Serenissimo honesta dimissione. Accesit vero Vir illustris Petrus Bucher, iam superiori anno ad obeundum Professoris Iuris ordinarii munus Rintelio huc evocatus.

Instat hoc ipso die novi Prorectoris inaugratio, quam ut praesentia sua ornare velint illustrissimi S. R. I. Comites Waldeccenses et Wittgensteinensis, perillustris Academiae Procancelarius, Professores venerandi, illustres, experientissimi et excellentissimi, generosissimi deinde ac nobilissimi Academiae Cives ea, qua pars est, observantia et humanitate rogo. Dabam Marburgi iphis Calendis Ianuarii a. ccccxxxviii.

